



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Deciisio X. Argumentum. Contra supra firmatam in olubilitatem Matrimonii objiciunt exempla septem Regum, ac Principum Christianorum, qui dimistis primis Uxoribus, iisdem viventibus, alias sibi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

Salome; cujus conjugium infeliciffimum ei ex-
stitit; nam, præter divortium sibi ab Uxore da-
tum, mortem quoque ab Herode cognato suo
recepit, sic infligant, ac accusante eadem U-
xore; veriffimum est enim, quod scribit Tira-
quellus *Connub. leg. 5. n. 35.* affinitatem scili-
cet potentiorum nocivam; & Uxores genere,
aut divitiis elatas Maritos se inferiores oppri-
mere; quare attendendum in conjugii contrahen-
dis quod cecinit Ovidius:

*Quàm malè iniquales veniunt ad aratra ju-
venti,*

Tam præclara humili Fæmina nupta Viro.
Non honor est, sed onus: species læsura feren-
tes,

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

45 Quo ad legem Juliani satis est respondendo
dicere, eum fuisse impium Apostatam, hostem
Religionis, & Dei.

Quo ad ultimum; in quo petitur, An ho-
die hoc Jus repudiandi Uxores vigeat inter Ju-
dæos; & ab eis licitè possit practicari? Lessius
in 3. part. D. Thoma De Sacramento Matrim.
46 cap. 5. n. 92. dub. 3. negativè responder ad hoc
quæsitum his verbis: *Respondet, neque apud
Judæos, neque apud Gentiles nunc permiffum
esse repudium; & si fiat, non solvi vinculum
Matrimonii. Ratio est, quia hæc dispensatio,
sicut & Polygamia, per Legem Evangelicam
est sublata, quando Dominus, Matth. 19. Ma-
trimonia revocavit ad primam institutio-
nem, juxta quam unus uni inseparabiliter
adherere debet. Hinc Judæus, vel Gentilis
habens plures Uxores, si ad fidem conversus
fuerit, compellitur, cæteris dimissis, dumtaxat
primam retinere: etsi fortè illam repudias-
set, modo ipsa simul converti velit, ut definit
Innoc. III. in cap. Gaudemus, de Divort. Idem
docent, ac tenent Cornelius à Lapide in d. c.
24. Deuter. Vers. 1. in fin. Sanchez de Matrim.
lib. 10. disp. 1. n. 9. & 10. ubi probat, Judæos,
ac Gentiles nunc peccare mortaliter, si per Li-
bellum repudii dimittant uxores; & hoc idem
confirmat Basilius Pontius eod. tract. lib. 7. cap.
50. n. 3. Jacobus Pignatellus d. tom. 8. consult.
93. n. 23. Eman. Gonzalez in d. c. 1. de Divor-
tium num. 12. & ibi Transmiera De Polygamia
quæst. 7. per totam. Concordant doctissimi
Salmanticenses eod. pariter tract. de Matrim.
c. 4. n. 26. quarum verba ne tædeat Studiosum
Lectorem audire, sicut me non piget ea tran-
47 scribere, quæ sunt hujusmodi: *Sed talis licen-
tia à Deo concessa Judæis revocata est à Chri-
sto Domino vel in morte ejus, in qua finita est
Lex Moysi, vel in die Pentecostes, in qua pro-
mulgata est Lex gratia; vel, quod certius
est, Matth. 19. ubi dicitur mœchari, qui u-
xorem dimiserit, & aliam duxerit, & et-
iam qui dimissam duxerit; quod pro Lege E-
vangelica sancitum esse docet D. Thom. 3. part.
quæst. 67. art. 4. ad 4. Et ex tunc esse prohibi-
tum Libellum repudii docet jus Canonicum
in cap. Gaudemus, 8. de Divort. & latè N.
Dominicus tom. 5. c. 23. Undè quia locis citat-
is reduxit Christus Dominus ad suum propri-
um statum, & vigorem Matrimonium, non
48 Doct. Clericali Tom. II. Lib. VI.**

*statuendo novam legem, sed auferendo di-
spensationem, quæ circa indissolubilitatem
Matrimonii fuerat à Deo concessa, relinquen-
do id in sua indissolubilitate naturali; jam
illicitus est libellus repudii etiam infidelibus,
qui proinde peccant, si Uxores quacunque de
causa repudiant. Et idèd quando ad fidem con-
vertuntur, cum priori nubere jubentur, nisi
fortè Matrimonium fuisset nullum, sicut plu-
ra sunt Matrimonia infidelium, quæ absque
legitima forma contrahuntur, maxime si cum
hac, vel illa fæmina solum ad tempus tacitè,
vel expresse nupserunt; quod judicandum est,
quando inter illos consuetudo admittendi ux-
ores vigeat; quia cum apponerent conditio-
nem contrariam substantiæ Matrimonii, erat
nullum, ut habetur ex cap. fin. De conditio-
nib. apposis.*

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Contra supra firmatam insolubilitatem
Matrimonii objiciuntur exempla sep-
tem Regum, ac Principum Christiano-
rum, qui dimissis primis Uxoribus, is-
dem viventibus, alias sibi conjunxerunt.
Item Canones quinque Pontificum, &
Lex Justinii Imperatoris, in quibus
censetur permiffa solutio primi Matri-
monii quo ad Vinculum. Pariterque
Verba Christi, Matth. 19. 9. quæ vi-
dentur concedere ejusdem Vinculi so-
lutionem. Refutantur supradicta ex-
empla tanquam impia. Declarantur
prædicti difficillimi Canones; & os-
tenditur in Verbis Christi, Matth. 19.
9. concedi dimissionem Uxorum, cau-
sa fornicationis, quoad thorum, &
cohabitationem tantum, non autem
quoad Vinculum Matrimonii, quod in
Lege Evangelica est omnino indisso-
lubile; duobus tantum Casibus ex-
ceptis, de quibus in Decif. seqq.

SUMMARIUM.

- 1 Matrimonia inter Christianos an dissolvi
possint quoad Vinculum?
- 2 Constantinus Imperator filius Leonis, & Ire-
nes, repudiata Uxore, aliam duxit. An
validè? & num. 50. Anno 795.
- 3 Barda Patricius Constantinopolitanus ali-
am Uxorem duxit dimissa prima, Anno
858. An bene? num. 52.
- 4 Lotharius Rex Francorum, repudiat Uxo-
rem Theutpergam, & ducit Valdradam
Anno 862. & num. 51.
- 5 Carolus Crassus Imperator dimittit Richar-
dam Uxorem, & aliam assumit. Et
num. 57.
- 6 Philippus Rex Galliarum repudiat Bertam
Uxorem, & ducit Bertrandam, Anno
1094. & n. 58.
- 7 Præmislus cognomento Othocarus Rex Bo-
hemie secundam ducit Uxorem vivente
prima

- prima dimissa Anno 1260. Et num. 59.
- 8 Fabiola Matrona Romana, dimisso Marito adultero, alii nubit. Et num. 60.
- 9 Cap. Uxor. 32. quæst. 7. relatum, & num. 62. declaratum.
- 10 Cap. Quod proposuisti, ead. 32. q. 7. relatum, & n. 65. declaratum.
- 11 Cap. Concubuiſti. d. 32. quæst. 7. relatum, ac expositum num. 66.
- 12 Cap. cum in captivitate. 34. quæst. 2. referatur, & num. 67. declaratur.
- 13 Cap. Laudabilem. 1. de Convers. Infid. relatum, & num. 68. expositum.
- 14 Justiniani Imperatoris Constitutio pro libera solutione Matrimoniorum. Refutatur. n. 71.
- 15 Christi Domini Verba Matth. 19. 9. referuntur, & num. 74. declarantur.
- 16 Matrimonia in Lege Evangelica sunt indissolubilia, si sint consummata.
- 17 Matrimonia dissolvuntur duobus in Casibus, Et qui sint?
- 18 S. Marci, ac S. Luca Verba de insolubilitate Matrimonii.
- 19 D. Pauli Apostoli verba de eadem insolubilitate.
- 20 Apostolorum Canon de eadem.
- 21 Eliberini Concilii de Anno 320. excommunicatio in conjugem alii nubentem, vivente primo.
- 22 Eliberis Urbs in Hispania, nunc diruta.
- 23 Milevitani Concilii Decretum, ne conjugati alii nubant.
- 24 Milevum erat Urbs in Africa.
- 25 Africani Concilii eadem prohibitio A. 420.
- 26 Aurelianum Concilium facit eandem prohibitionem Anno 533. Aurelia Urbs ubi sit? ibid.
- 27 Forum Julii Urbs subdita Reipublica Veneta.
- 28 Foro Julienſe Concilium Anno 800. damnat solubilitatem Matrimoniorum.
- 29 Triburienſis Concilii Canon pro perpetuitate Vinculi Maritalis. Triburia illa ubi sit?
- 30 Nannetenſe Concilium de eadem, Et Nannete ubi sit?
- 31 Florentinum Concilium super eadem perpetuitate.
- 32 Tridentini Concilii Decreta circa eandem.
- 33 S. Evaristi Papa de Anno 110. sententia de eadem insolubilitate Matrimonii.
- 34 S. Justiniani & Anthenagora verba circa eandem.
- 35 Ac S. Clementis Alexandrini.
- 36 Origenis quoque de Anno 220.
- 37 Tertulliani etiam Verba de eadem.
- 38 S. Hieronymus idem docet Anno 390.
- 39 S. Innocentii Papa 1. Verba de eadem insolubilitate.
- 40 S. Augustini doctrina de eadem.
- 41 Ac S. Gregorii Magni de Anno 590.
- 42 Publicis Pœnitentibus olim prohibita Nuptia.
- 43 S. Anselmi Verba de Matrimonialis Vinculi insolubilitate.
- 44 Alexandri quoque Papa III. de Anno 1160.
- 45 Innocentii Papa III. pariter Verba de eadem.
- 46 Ceca est omnis libido.
- 47 Luxuria extinguit lumen rationis.
- 48 Veritas deest in Aulis Principum.
- 49 Consiliarium bonum non habere, est Dei puniſio.
- 50 Constantini Imperatoris filii Leonis, & Irene vitia.
- 51 Tarasius Patriarcha quare non excommunicavit eundem Imperatorem?
- 52 Baraba primus Imperatoris Minister superbus, & impius.
- 53 Photius quomodo, & quando factus sit Patriarcha Constantinopolitanus?
- 54 Lotharius iniuste dimisit Uxorem; ut aliam sumeret.
- 55 Nicolai 1. sententia contra Lotharium, & Synodum Metensem.
- 56 Lotharii divina puniſio, & mors.
- 57 Caroli Crassi vindicta celestis ob repudium Uxoris.
- 58 Berta Uxoris Philippi Regis Francorum iniuste dimissa.
- 59 Primislai Regis Bohemia, alias Orhogari Matrimonium solutum, quia Ratum, & Uxor ingressa est Religionem.
- 60 Fabioli per errorem nupsit secundo, vivente primo Marito.
- 61 Error non præjudicat Veritati.
- 62 Cap. Uxor. 32. quæst. 7. tripliciter declaratur.
- 63 S. Ambrosius doctissimus etiam in Jure Civili Romanorum.
- 64 Conciliorum decreta prævalent dictis SS. Patrum.
- 65 Cap. Quod proposuisti 32. quæst. 7. quadruplex interpretatio.
- 66 Cap. Concubuiſti. 32. quæst. 7. declaratio.
- 67 Cap. Cum in Captivitate. 34. q. 2. exponitur.
- 68 Cap. Laudabilem. 1. De Convers. Infid. interpretatio.
- 69 Theodorus Balsamon inimicus Romanorum Pontificum. Et cur?
- 70 S. Raymundus de Pennafort collegit in unum Canones Decretalium Anno 1230.
- 71 Justiniani Novella de Divortii contraria est Veritati Evangelica.
- 72 Justiniani Imperatoris turpis vita.
- 73 Gracorum error circa solutionem Matrimoniorum. Abbas Papadopoli contra eos declamat. ibid.
- 74 S. Matthei Verba cap. 19. 9. declarata circa divortia.
- 75 Card. de Laurea, ac Mastrii interpretatio Verborum S. Matth. 19. 9.

Quarta Objectio, reposita in Decis. VII. n. 38. contra indissolubilitatem Vinculi Matrimonialis (provenientem à Lege Naturali, & Divina) fuit, quod multi Reges, & Principes Christiani per repudium Uxorum sarum, alias mulieres sibi in conjuges assumpserunt, quorum facto deduci videtur, quod prædictum Vinculum non sit indissolubile; idcirco in præsentem examinanda venit famosa illa quæstio, an in Lege Evangelica, & apud Christianos dentur casus, in quibus Matrimonia non solum rata, sed etiam consummata solvi possint quo ad Vinculum, itaut liceat Christianis dimittere primas Uxores, easque repudiare, deinde alias Uxores accipere? Prout etiam unum Uxores repudiatae possint aliis Viris nubere? Et videtur affir-

affirmandum tum ex Historiis, tum ex Sacris Canonibus, tum etiam ex Verbis Christi. Quòd vinculum Matrimonii dissolvi possit, videtur probari ex Historiis.

Primò ex facto Constantini Imperatoris 2 Constantinopolitani, filii Leonis, & Irenes piissimæ Imperatricis; ipse enim Constantinus Anno à Nativitate Christi 795, ut scribit Emin. Card. Baronius, & ejus Compendiator Spondanus ad d. Annum abdicata mense Januario, & Monasterio inclusa Maria legitima conjugè, eo falso prætextu quasi ea vita ipsius infirmata esset, Mense Augusto Theodotem cubiculariam ducens, Augustam coronavit. Ergo solum confabatur vinculum Matrimonii cum Imperatrice Maria prima Uxore. Refert hoc factum etiam Emin. Card. de Lauræa de Matrim. disp. 16. num. 120. sed per æquivocum tribuit illud Constantino Copronimo, qui per annos antea viginti obierat, quique Avus fuerat Constantini hujus, Irenes filii, à quo repudiata legitur Maria Imperatrix, & in ejus locum assumpta Theodote.

Secundò, ex repudio, quod fecit Barda Patricius Constantinopolitanus Anno Domini 858 Imperante Michaeli III. à quo prædictus Barda summam Imperii administrationem erat 3 assecutus. Is enim Uxorem suam dimisit, & aliam sibi copulavit, ut narrant præfati Emin. Baronius, ac Spondanus ad d. Ann. 858. num. 4. etsi ipsemet Emin. de Lauræa repudium hoc attribuat eidem Imperatori Michaeli III. d. disp. 16. d. num. 20.

Tertiò, ex Uxore Waldrada, quam, dimissa prima conjugè Theutperga, sibi assumpsit Lotharius Francorum Rex Anno Domini 862. 4 ut ibi scribunt Emin. Cardin. Baronius, ac ex eo Spondanus ibid. num. 4. qui prædictæ dimissionis, atque repudii causam refert his verbis: Quòd verò jam legitimo Theutperga Regi: a Matrimonio junctus esset, egit cum Episcopis Regni sui, ut convocata Aquisgran. Synodo, octo ex ipsis Theutperga causa cognita, (que falso accusata incestus cum proprio fratre, referabatur etiam ad scelus publicè confessæ) Matrimonium illud dissolverint, ipsique Lothario, se incontinentem profitenti, permissent aliam Uxorem ducere. Quidquid fuerit in facto de veritate impadli incestus; exemplum hoc demonstrat, Episcopos illos cognovisse in jure licitum esse Lothario accipere sibi in Uxorem Waldradam, dimissa Theutperga; ejusdem nexum maritalem arbitantes, ac judicantes solum.

Quartò ex dimissione Uxoris suæ Richardæ, seu, ut alii eam vocant Richildis, Imperatricis Augustæ, quam à se expulit Carolus Crassus Imperator Romanorum, Anno Domini 888, ut 5 ibidem scribit Spondanus num. 1. etsi ex levibus quibusdam suspitionibus incontinentiæ ejus. Carolus Crassus filius fuerat Ludovici Regis Germanorum, Nepos Ludovici Pii, & Pronepos Caroli Magni Imperatorum; & sortitus erat cognomen illud ob superabundantem corporis pinguedinem, qua deformis nimis evaserat. Defuncto Ludovico Balbo Imperatore Prædecessore suo; cum ex eo non extarent nisi tres filii tenerimæ ætatis, & ipse Carolus

Doct. Clericari Tom. II. Lib. VI.

Crassus jam obtineret coronas tres, scilicet Germanorum, Francorum, ac Italarum, quorum omnium Regna ex obitu propinquorum ad se devoluta erant, & ipsorum Rex fuerat ipse constitutus; reportavit etiam Coronam Imperialem à Summo Pontifice Stephano VI. arbitrante ex Principibus Christianis nullum potentiorum illo futurum, ad Ecclesiam Catholicam defendendam, ac Apostolicam Sedem tutandam, ad exemplum Proavi sui Caroli Magni Imperatoris, ut latius differunt Historici illorum temporum, ac novissimè P. Antonius Foresti Soc. Jesu in Mappamundo tom. 2. lib. 23. cap. 7.

Quintò ex consimili repudio Bertæ legitimæ conjugis Philippi Regis Galliarum, qui Anno Domini 1094. ex causis sibi bene visis illam 6 dimisit, & ex consensu plurium Episcoporum Bertradam mulierem sibi in novam uxorem adjunxit, ut ex Ivone Carnotensi Epist. 13. & 14. notat Spondanus ad eundem Annum n. 2. ac ex Paulo Emilio de Rebus Francor. lib. 5. & 6. aliisque Historicis illorum temporum repetit Emanuel Gonzalez in Comment. ad cap. Dilecti filii, 4. de Arbitr. n. 2. tom. 1. pag. 770.

Sextò, tandem, ex solutione Vinculi Matrimonii per dimissionem primæ Uxoris, ac susceptionem secundæ, vivente prima, quam fecit Primislaus Rex Bohemiæ cognomento O 7 rhocarus, de quo ita scribit Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum Christi 1260. n. 21. in Compend. Primislaus obiit mato ancora Ottocaro ripudiò la moglie, perche si diceva lei havere avanti il Matrimonio fatto Voto di castità, e la mise in un Monastero di Sacre Vergini, prendendo in luogo di lei la sorella di Bela Rè di Ungheria. Concordat antenominatus P. Ant. Foresti in Mappamund. tom. 6. libr. 9. pag. 227. in Vita ejusdem Primislai Tertiū Ottocari, Quinti Regis Bohemorum, ita dicens: Era egli contentissimo per queste glorie guerriere; mà il suo contento non poco restava scemato, vedendosi senza prole à cagione della Regina Margherita infecunda. Onde il Rè per provedersi di Successione, dopò matura consideratione, e con le debite facoltà, fece pacifico divorzio con la Regina, che si ritirò in un Monastero; ed esso passò alle seconde Nozze con Cunegonda, nata di Filippo già Imperatore, che à non molto gli partorì Vinculao Quarto di questo nome. Et de hac Historia loquitur etiam Eman. Gonzalez in cap. Constitutis. 46. De Testib. n. 1. & 2. tom. 2. pag. 342. En igitur ex hoc, & aliis supra relatis exemplis, quòd etiam in Legge Evangelica nexus maritalis solvi potest, & per repudium primæ Uxoris, saltem ex aliqua urgenti causa, devenire concessum fuit Marito ad secundas Nuptias; & ad alterius Uxoris acceptionem, prima vivente; prout etiam Uxori, vivente primo Marito; ut

Septimò, ex facto Fabiolæ Matronæ Romanæ, de qua scribit S. Hieronymus tom. 1. ad Oceanum, quòd dimisso primo adultero Mari- 8 to, secundum sortita erat Matrimonium; & refert Petr. Gregor. Thololanus Syntagm. Jur. p. 2. lib. 9. c. 16. n. 8.

2

Octavò?

Octavò: Sed hæc solubilitas vinculi Matrimonialis, & facultas tum Viris, tum Fœminis, eodem Vinculo soluto, ad alias nuptias transeundi, viventibus, primo Marito, ac respectivè prima Uxore, videtur per Sacros Canones probari. Siquidem in cap. Uxor. 32. quest. 7. ita ex Verbis S. Ambrosii super 1. ad Corinth. 7. legitur: *Uxor à Viro non discedat, nisi causa fornicationis, quòd si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur Viro suo: & Vir similiter non dimittat Uxorem. Idèd non subdit (notetur) de Viro, quòd de Uxore præmissit; quia Viro licet ducere aliam. Si igitur dimissa Uxore ob fornicationem, licet Viro ducere aliam; vinculum prioris Matrimonii fuit per dimissionem Uxoris solum.*

Nonò: in cap. Quod proposuisti, ead. 32. quest. 7. in quo Gregorius Papa Tertius sic respondit Bonifacio Episcopo Epist. 4. videlicet: *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum Viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentia vacaret. Sed quia hoc magnum est; illa, qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subditi orem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit. Ergo & ob infirmitatem Uxoris, ea potest repudiari; & post repudium aliam ducere licet; & ita constat, prioris conjugii Vinculum fuisse solum.*

Decimò: confirmatur objectio per textum in cap. Concubuiisti. d. 32. quest. 7. ubi Zacharias Papa sic ait: *Concubuiisti cum sorore Uxoris tue? Si fecisti, neutram habeamus: & si illa, quæ Uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem, & adultera lineæ conjugii permaneamus; & quamdiu vixeritis, juxta præceptum Sacerdotis pœnitentiam agite. Itaque marito adulterante, ejus Uxor alteri potest nubere; & sic nubendo solum est vinculum cum primo marito.*

Undecimò: pro ejusdem objectionis fulmine proponitur textus in cap. Cum in captivitate. 34. quest. 2. in quo proposita instantia Innocentio Papæ Primo per mulierem, cujus Maritus ea in captivitate detenta: aliam Uxorem sibi copulaverat; ita respondit Pontifex Epist. 9. ad Probum: *Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum; conventumque secunda mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum. Considerentur illa Verba: Nec divortio ejecta. Ergo si prima Uxor fuisset per divortium ejecta, idest repudiata, vel dimissa à marito, secundum conjugium validum, & legitimum habendum; scilicet ob solum vinculum primi Matrimonii in divortio.*

Duodecimò: prædictis juribus accedit responsum Cœlestini Papæ III. in cap. Laudabilem. 1. De Convers. Infidel. in quo, juxta secundam collectionem relatam ab Anton. Augustino Collect. 1. Decretor. libr. 3. tit. 20. c. 2. & ab Emanuele Gonzalez in eod. c. 1. De Convers. Infidel. tom. 3. Decretal. libr. 3. tit. 33. c. 1. cum Vir Christianus relicta Uxore a-

postulasset à fide, & mulierem Paganam sibi copulasset; ipsaque Uxor Christiana ad secundas nuptias convolasset, & filios suscepisset, Pontifex prædictus super hoc casu sic respondit: *Non videtur nobis, quòd si prior Maritus redeat ad unitatem Ecclesiasticam, eadem à secundo debeat recedere, & resignari priori. Igitur solum fuerat Vinculum Matrimonii per recessum à Fide Catholica, quem fecerat primus Maritus.*

Decimotertiò: ad stipulatur præmissis Constitutio Justiniani Imperatoris per eum lata Anno Christi 566. & sui Imperii Anno primo; per quam omnibus hominibus indulgit, ut ad libitum propria conjugia, ex quacunque causa sibi bene visa, possent mutuo consensu Mariti, ac Uxoris dissolvere, ad tollendas (ut inquit) altercationes, ac discordias, quæ irreconciliables evadebant inter conjugatos ex indissolubilitate Matrimonii. Fuit Justinus Justiniani Imperatoris Nepos, idest Vigilantiæ ejusdem Justiniani fororis filius, & prædicta Constitutio legitur in Libr. Authenticar. statim post Novellas Constitutiones ejusdem Imperatoris Justiniani, & ejus Titulus est: *Ut possit ex consensu dissolvere Matrimonium.* De eadem mentionem faciunt Emin. Card. Baronius, nec non Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi 566. n. 3.

Decimoquartò, & ultimò: hucusque dicta, objectionis ejusdem favore, videntur omnia inniti verbis Christi Domini ab Evangelista Matthæo c. 19. n. 9. relatis: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Igitur si à Christo Domino prohibita est dimissio Uxoris, nisi ob fornicationem; ubi commissæ fuerit per Uxorem fornicatio, (proprio nomine dicta adulterium) licitum erit repudiare illam, solvere vinculum Matrimonii, & aliam Uxorem ducere. Et ita intellexerunt supradicta Verba Evangelii Cajetanus, & Catharinus, ut refert Alphonsus de Castro Verb. Nuptia §. Quinta hæresis. protestantes tamen se ita tenere, quia tunc nulla aderat Ecclesiæ definitio in contrarium; ut legitur apud Emin. Card. de Lauræa d. disp. 16. de Matrim. n. 86. subdentem: *& certe fateor, quòd si Ecclesia, & Patres locum illum aliter non intellexissent, verba illa secundum obviā intelligentiam hunc sensum facerent.*

His tamen omnibus, ac similibus minimè obstantibus, firma, & constans est doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quam firmavimus in d. Decis. VII. à n. 23. & sequentibus, videlicet indissolubile esse vinculum Matrimonii ejusque indissolubilitatem, ac perpetuitatem provenire à Jure Divino, & Naturali; adeò post Christi adventum nulla sit collata potestas in teris, seu dispensatio à Deo, ut solvi possit nexus Matrimonialis sive inter fideles, sive inter infideles, nisi in duobus casibus. Primò. (si Matrimonium sit consummatum) quando alter ex conjugibus infidelibus convertitur ad fidem, alter verò non vult converti, neque vult habitare cum converso absque injuria Redemptoris.

17 *vis.* Secundò, si Matrimonium sit tantummodo ratum, non autem consummatum inter fideles, & Maritus, aut Uxor velit ingredi Religionem, & in ea solemniter profiteri; vel super eo à Papa obtineatur dispensatio ob iustam aliquam, ac urgentem causam; de quibus duobus casibus infra separatim, ac plene verba faciemus, nempe *Decis. XI. Decis. XII. & Decis. XIII. XIV. & XV.* His duobus casibus exceptis, nullus est intoto mundo, qui habeat facultatem solvendi Matrimonium quo ad vinculum; sive sit Princeps, Rex, aut Imperator; sive sit Ecclesiasticus Prelatus, Episcopus, aut Papa, ut loquitur præfatus Eminent. Card. de Lauræa d. d. 16. n. 115. & hæc Veritas, quæ est de fide, probatur (præter eam, quæ diximus d. *Decis. VII. n. 23.*) ex sequentibus.

Primò: ex Verbis Redemptoris nostri
18 *Marc. 10. 11.* *Quicumque dimiserit Uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si Uxor dimiserit Virum suum, & alii nupserit mæchatur.* Prout etiam ex illis in *Luc. 16. 18.* *Omnis, qui dimittit Uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur: & qui dimissam à Viro ducit, mæchatur.*

Secundò: ex Verbis Divi Pauli Apostoli 1. *Cor. 7. 10.* *is autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, Uxorem à Viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut Viro suo reconciliari. Et Vir Uxorem non dimittat.* Item ex aliis ejusdem Apostoli Verbis ad *Rom. 7. 2.* *Qua sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à Lege Viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à Lege Viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Tertiò: ex Apostolorum *can. 48.* ubi sic fuit statutum ab initio Ecclesiæ: *Si quis Laicus Uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur.* Cui ita? Unique, nam pellens propriam Uxorem ex quacunque gravissima causa non solvit Vinculum Matrimonii. Hoc autem semper verum fuisse in Ecclesia Catholica patet etiam ex sequentibus Conciliis. Siquidem

Quartò: in Concilio Eliberino celebrato sub S. Sylvestro Papa Anno Domini 320. sic fuit statutum in *can. 8.* *Item Femina, quæ, nulla præcedente causa, reliquerit viros suos, & alteris se copulaverint, nec in fine accipiant Communionem.* Quia, scilicet adulteræ reputantur, insoluto remanente priore conjugio. Quod manifestius habetur in sequenti *can. 9.* *Item fidelis Femina, quæ adulterum Maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ne ducatur. Si autem duxerit, non prius accipiat Communionem, quàm is, quem reliquit, de sæculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Erat enim prohibitum alterum ducere, etiam ob repudium fornicationis causa sequutum, sub excommunicationis pœna ex decreto hujus Concilii Eliberini. Illiberis erat Urbs in Hispania, quæ nunc dicitur Granata ex Plinio

c. 1. lib. 3. etsi alii putent, aliam fuisse, sed parum distantem à Granata, olim dirutam ob bellorum injuriam, cujus vestigia, & rudera adhuc ostenduntur in loco, seu pago appellato *Elvire*; ut notat Ferrarius in *Lexico Geograph. Verb. Illiberis.*

Quintò ex Concilio Milevitano, quod habitum fuit Anno Domini 402. sub Innocentio Papa I in quo *can. 17.* ita fuit sancitum: *Placuit, ut secundum Evangelicam, & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab Uxore, neque dimissa à Marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibi met reconcilientur. Quod si contempserint, ad Pœnitentiam redigantur.* Legitur Canon iste etiam in *cap. Placuit. 32. g. 7.* Milevum erat Urbs Africa Episcopalis, sub Archiepiscopo Carthaginensi, in 24 qua fuit celebratum supradictum Concilium; nunc dicitur *Mela*, teste Ferrario ubi supra *Verb. Milevum.*

Sextò: Supradictus Canon *Placuit &c.* repetitus, ac renovatus fuit isdem Verbis in Concilio Africano convocato tempore Bonifacii Papæ I. Anno Domini 420. ut in ejus *Canone 25. 69.* Conciliorum tom. 1. pag. mibi 857. Dicitur autem Africanum hoc Concilium, quia habitum fuit Carthagine, tempore S. Augustini, qui in eodem præfens fuit tanquam suffraganeus Episcopus Hypponenfis.

Septimò: Ex Concilio Aureliæ (quæ est Gallia Celtica ad Ligerim fluvium Urbs Episcopalis, vulgò *Orleans*, condita Anno salutis 278. ab Aureliano Imperatore) in quo quidem Concilio Anno 533. tempore Joannis Papæ II. in *can. 11.* sic decretum fuit: *Contracta Matrimonia, accedente infirmitate, nulla voluntatis contrarietate solvantur. Quod si qui ex conjugibus fecerint, noverint, se communionem privandos.* Hac utique ratione, quia Matrimonii Vinculum in Lege Evangelica est insolubile quacunque de causa, si consummatum sit, ut dictum est *supra n. 16.*

Octavo: ex Concilio Foro-Julienfi convocato Anno Domini 800. circiter, in præclara Italiae Urbe Forum Julii dicta, quæ Serenissima Republica Venetæ est subiecta; & condita fuit post destructam ab Antila Aquinam; cujus Concilii tempore Sedem Apostolicam regebat Leo Papa III. in cujus *Can. seu c. 10.* ita fuit à Patribus statutum: *Item Placuit, ut resoluta fornicationis causa jugali vinculo (intelligendo quo ad thorum) non liceat viro, quandiu adultera vivit, aliam Uxorem ducere, licet sit illa adultera: sed nec adultera (quæ pœnas gravissimas, vel pœnitentia tormentum luere debet) alium accipere Virum, nec vivente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito.* Prosequitur Concilium rationem reddendo, & verba Evangelistæ Matthæi in c. 19. *Vers. 9.* declarando; quam declarationem juvabit studiosos legisse pro genuina intelligentia ejusdem Evangelici textus, ac Redemptoris nostri verborum, quæ posita sunt *supra n. 15.* in Decimaquarta objectione.

Nonò: Probatur pariter insolubilitas Matrimonii ex Concilio Triburiensi habito sub Bonifacio Papa VI. & Arnulpho Imperatore *An. Dom. 895.* in quo *cap. 38.* agitur de validitate Matrimonii

cum liberta, idest cum ancilla manumissa initi;
& decernitur: *Ut quisquis liber liberiam, le-
gitime in Matrimonium duxerit, ulterius ha-
bere debeat tanquam unam ex nobili genere
progenitam, excepta fornicationis causa: &
quandiu illa vivat, nullam aliam accipiat.*
Triburia est Villa, quæ Germanica lingua dici-
tur *Tribur*, & est sita ultra Rhenum propè
Moguntium, ut notantur in principio ejusdem
Concilii positi in tom. 4. Concilior. pag. 26.

Decimò: Præmissis Conciliaribus Canonibus
adstipulatur etiam Concilium Nannerense,
30 quod sequitur immediatè post Triburiense, &
censetur congregatum Anno Domini 900. cir-
citer. Nannete, quæ est Urbs Gallia Celticæ
ad Ligerim fluvium, vulgò *Nantois*, condita à
Nannete Rege Quinto Gallia, Anno post dilu-
vium 300. ut notatur in *Lexico Geographic.*
Ferrarii *Verb. Nannetes*; in quo Concilio, sub
Pontifice Maximo Stephano VII, in c. 12. sic
fuit definitum: *Si cujus Uxor adulterium per-
petravit, & hoc à viro deprehensum fuerit,
& publicatum, dimittat uxorem, si voluerit,
propter fornicationem. Illa verò septem annis
publicè peniteat. Vir verò ejus, illa vivente,
nullatenus aliam accipiat.* Ratio est manife-
sta, quia illa dimissio ob adulterium est quoad
thorum, & habitationem, non quo ad solutio-
nem vinculi maritalis. Undè concludit ibi Can-
non: *Similis forma, & in muliere servabi-
tur, si eam vir ejus adulteravit.*

Undecimò: Successit Concilium Florenti-
num Anno Domini 1439, in quo Eugenius
Papa Quartus præfens fuit, & in eo, in Decre-
31 to Concordiæ Armenorum, publicado die 22.
Novembris ejusdem Anni, Incipien. *Exultate
Deo &c.* in §. 16. ita docuit, sancivit, & de-
claravit: *Assignatur autem triplex bonum Ma-
trimonii. Primum est proles suscipienda, &
educanda ad cultum Dei. Secundum est Fi-
des, quam unus conjugum alteri servare debet,
Tertium indivisibilitas Matrimonii propter
hoc, quod significat indivisibilem conjunctio-
nem Christi, & Ecclesiæ. Quamvis autem ex
causa fornicationis liceat thori separationem
facere; non tamen aliud Matrimonium con-
trahere fas est, cum Matrimonii vinculum le-
gitime contracti perpetuum sit. Quid manife-
stius, aut solidius?*

Duodecimò. Et quoniam sæculo subse-
quenti eidem Florentino Concilio insurrexe-
runt Hæretici Lutherani, & Calvinistæ, qui in-
hærentes erroribus antiquorum hæreticorum
Montanistarum, Catharigum, Græcorum, &
aliorum, quos nominat Emin. Card. Bellarmi-
nus lib. 1. de *Matrim.* c. 15. Emin. Card. de
Lauræa d. disp. 16. n. 4. Salelles de S. Inquisi-
Reg. 288. & 292. Cotonius *Controv.* 2. n. 96.
lib. 5. docere non verebantur, Vinculum Ma-
trimonii esse prorsus solubile ad libitum con-
32 jugatorum, contra hoc, & alios eorundem
hæreticales errores convocatum fuit Concili-
um Tridentinum; à quo (Anno 1563. die 21.
Novembris, Pio Papa Quarto in Romana Apo-
stolica Sede sedente) in sess. 24. de *Doctrina
Matrim.* cum præmississet in principio, *Matri-
monii perpetuum, indissolubileque nexum
esse; inde sic sententiavit in can. 5. Si quis di-*

*xerit propter hæresim, aut molestanti cohabi-
tationem, autem affectatam absentiam à
conjugē, dissolvi posse Matrimonii vinculum:
Anathema sit.* Subindè in can. 7. multò ma-
gis damnavit assertores solubilitatis ejusdem vin-
culi, ita sanciens: *Si quis dixerit Ecclesiæ er-
rare, cum docuit, & docet juxta Evangeli-
cam, & Apostolicam doctrinam, propter ad-
ulterium alterius conjugum, Matrimonii vin-
culum non posse dissolvi; & utrumque, vel
etiam innocentem, qui causam adulterio non
dedit, non posse, altero conjugē vivente, aliud
Matrimonium contrahere; mæcharique eum,
qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam,
quæ, dimisso adultero, alii nupserit: Ana-
thema sit.* Eniguitur concors Ecclesiæ Catho-
licæ doctrina, per quindecim integra sæcula, in
tot Conciliis exarata circa indissolubilitatem
Matrimonialis Vinculi. At non tædeat Lecto-
rem Studiosum audire nonnulla testimonia San-
ctorum Patrum, qui ab initio Ecclesiæ per duo-
decim fermè continua sæcula, insolubile esse
Vinculum Matrimonii in quocunque casu repu-
dii asseruerant. Nam

Decimotertio: Ut à Patribus Græcis exor-
diamur, S. Evaristus Græcus, & ad apicem A-
postolatus ob eximiam ejus sanctitatem, & do-
ctrinam evectus Anno 110. in *Epist.* 2. hæc
de conjugii insolubilitate dicit: *Uxori non li-
cet dimittere Virum suum, ut alteri se, vi-
vente eo, societ Matrimonio, licet fornicatus
sit vir ejus; sed juxta Apostolum, aut viro
suo reconciliari debet, aut manere innupta.*

Decimoquarto: S. Justinus Martyr in *Apo-
log.* 2. & Athenagoras, coævus cum eodem
Sancto, de Anno scilicet 150. in *Apolog. pro
Christianis*, adulterum universim appellant
eum, qui dimissam ab alio ducat; quod refert
etiam Abbas Papadopoli in suis eruditissimis
Prænotionib. *Myſtagog. Resp.* 6. Sect. 4. n. 14.

Decimoquinto: Clemens Alexandrinus, qui
floruit circa Annum 190. in *libr. 2. Stromat.*
hæc scripsit: *Quod autem consulat Scriptura
Uxorem ducere, & nec à conjugio unquam
permittat discedere, legem aperte constituit.
Non dimittis Uxorem, præterquam propter
fornicationem; adulterium autem existimat
conjugi Matrimonio, viro altero ex separa-
tis.*

Decimosexto: Origenes, ejusdem Clemen-
tis discipulus Anno 220. fervidus Evangelicæ
doctrinæ prædicator in *Tract.* 7. super *Matth.*
c. 19. cum dixisset, repudium Uxorū, datum
Moysen Judæis, esse revocatum à Christo, sub-36
dit: *Qua enim ratione adultera est mulier,
quamvis legitime nubere videatur viro vi-
vente; eadem ratione & vir, quamvis legi-
time accipere videatur dimissam ab aliquo vi-
ro, non accipit legitime secundum sententiam
Salvatoris; sed magis mæchatur, quasi alie-
nam accipiens.*

Decimosextimo: Tertullianus, Anno 230.
libr. 4. contra *Marcion.* ultra med. Marcioni
objicienti, Christum opposita statutis à Moy-37
se docuisse, quod permissum à Moysè di-
vortium Christus vetuerit, Respondet: *Mini-
mè vetitum à Christo divortium factum ex
justa causa; sed vetitum sanè, post ipsum di-
vortium.*

vortium, conjugium alterum. Ex Latinis autem Patribus.

Decimooctavo: S. Hieronymus, qui scribat Anno 390. in *Epist. ad Amandum* ait: *38* *Quandiu vivis Vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus cooperatus, & ab Uxore propter hac scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Habentur hæc, & alia ejusdem Sancti Doctoris Maximi Verba in *cap. Dixit* 32. q. 1. & in *cap. Omnes causationes*, 32. q. 7.

Decimonono: Innocentius Papa I. sedens in Apostolatus apice Anno 402. ita scripsit in *39* *Epist. ad Exuperium circa finem.* De his etiam requisivit Dilectio tua, qui, interveniente repudio, alius se copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel Uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque poterunt adulteri non videri; in tantum ut etiam hæc persone, quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsa adulterium commississe videantur, secundum illud, quod legimus in Evangelio, Qui dimiserit Uxorem suam, & duxerit aliam, machatur; similiter, & qui dimissam duxerit, machatur: & ideo tales omnes à communione fidelium abstinendos.

Vigesimo: S. Augustinus Episcopus Hypo-
nensis, Doctor egregius, qui coepit laborare in Vineâ Domini verbo, & scriptis ab Anno *40* 420 in libro *De bono conjugali* c. 7. sic loquitur: *Interveniens divorzio non aboletur illa confederatio Nuptialis, ita ut sibi conjuges sine etiam separati; cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati.* Referuntur hæc verba à Gratiano in c. 1. 32. q. 7. & ibidem in 2. 3. & 4. cap. ejusdem sententia testimonia prædicti Sancti Doctoris ex aliis ipsius libris collecta habentur, quæ hic non transcribo, cum facile sit ea legere in d. 32. q. 7. cap. 2. 3. 4. 6. 10. 26. & 27.

Vigesimo primo: S. Gregorius Magnus, electus Summus Pontifex Anno 590. relatus à Gratiano in cap. *Hic vero*. 32. q. 7. ita docet: *41* *Hic vero, qui Uxores suas in adulterio apprehendunt, non licebit, nec eum, nec eam aliam Uxorem accipere, vel alium Virum; quamdiu ambo vivunt. Si autem adultera mortua fuerit, Vir ejus, si vult, nubat tantum in Domino. Adultera vero nunquam, etiam si mortuus fueris Vir ejus: omnibus tamen diebus vita sua accerrima poenitentia lamenta persolvat.* Tunc enim temporis publicam poenitentiam agentibus non solum interdictum erat Matrimonio antea contracto uti, sed etiam conjuge uno defuncto, novum Matrimonium superstitii poenitenti contrahere erat prohibitum, ut late probat Morinus de Sacram. Poenit. lib. 5. cap. 21. & seqq.

Vigesimo secundo: S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, qui floruit Anno 1081. in *Comment. S. Matth. 5.* sic scribit: *Hic præcipit* *43* *non dimittere Uxorem, nisi tantum excepta causa fornicationis. Si enim ipsa ruperit legem conjugii, potest eam homo à se separare, ut commixtionem illam auferat sibi quam vio-*

lavit: sed tamen (notetur) Sacramentum conjugii remanet, ut non aliam ducat.

Vigesimo tertio: Alexander Papa III. qui regebat Universalem Ecclesiam Anno 1160. sic respondit ad Abbatem S. Edmundi in cap. *Ex parte. De Sponsalib.* Nemini licet Uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere; & tunc eam sibi reconciliare debet, aut ipsa vivente continere. Ea ratione quia non est solum vinculum maritale per dimissionem illam, ideo non potest aliam sibi in Uxorem assumere.

Vigesimo quarto, & ultimo Innocentius Papa III. creatus Pontifex Anno 1198. pluribus responsis suis hanc veritatem enuntiavit, sed præcipue ad Tyberiadem Episcopum, ut legitur in *45* *cap. Gaudemus. De Divorciis*, in illis verbis: *Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit Uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio repronaverit, nunquam ea vivente licet poterit aliam habere.* Ecce igitur constans, & irrefragabilis doctrina Catholica, ab initio Ecclesiæ usque in præsens, Conciliis, Sanctorum Patrum, ac Summorum Pontificum testimoniis confirmata; quod nexus Matrimonii legitime contracti est insolubilis, & quamvis ex causa fornicationis, seu adulterii unus ex conjugibus fieri possit dimissio, ac repudium adulterantis, alter conjux innocens, vivente repudiato, ac dimisso, non potest aliud Matrimonium inire, cum duret prioris Matrimonii Vinculum insolutum inter ipsum, & adulterantem; idque est inconcussum in utraque Schola S. Thomæ, & Scoti ex eorum doctrina in 4. dist. 35.

Nec obstant Exempla Christianorum Principum, Regum, seu Imperatorum supra à n. 2. & seqq. adducta; ipsa etenim resolvuntur, & evacuantur tum generali, tum particulari responsione. Generaliter responderetur ad ipsa, quod eorum divortia, ac nova Matrimonia non processerunt à lumine Veritatis, sed à tenebris impudici amoris; hinc S. Ambrosius agebat, quod *cæca est omnis libido*, ut notat Cornelius à Lapide in *46* *Genes. 19. 11.* quo loci habetur, quod *populos Sodomorum* (qui abuti volebant Angelis hospitantibus in domo Loth) ipsi Angeli *perculserunt cecitate.* Quare S. Thomas 2. 2. *quæst. 53. art. 5. ad 1.* ait, quod *Ira, & Invidia causant inconstantiam, pertrahendorem ad aliud; sed Luxuria totaliter extinguendo judicium rationis.* Et Aristoteles *Ethic. lib. 7. 47* c. 6. *Incontinentia concupiscentia totaliter rationem non audit.* Quapropter cum præfati Imperatores, ac Reges libidine agitantur, ausi sunt Uxores proprias dimittere, & pellicēs assumere, contra Christianam Religionem, ac Evangelicam Veritatem. Nec satis est dicere, eis non defuisse Consiliarios optimos, à quibus docerentur Veritatem: Nam replicatur, ut plurimum assertos optimos Consiliarios deesse; unde Ludovicus XI. Rex Galliarum, cum diceret, rem unam in abundantissima Aula sua sibi deficere, interroganti, *Quanam esset?* respondit, *48* *Veritas*, ut refert idem à Lapide in *Exod. 18. 12.* addens quod Democritus dicebat, *Veritatem in profundis putei deliteret.* At est Consiliarii boni existant, sæpe permittit Deus, ut his Reges non credant, sed assentatoribus, qui dicunt *malum*

malum bonum, & bonum malum; lucemque tenebras, & tenebras lucem. *Iſa. 5. 20.* & in poenam culpæ, quibus, qui regunt alios, conſcientias proprias onerant, ſinit eos Deus vel non credere veritatem dicentibus, vel eam qui dicant non habere, juxta illud: *Auferam à vobis Conſiliarium, & Sapientem, & prudentem eloquii myſtici. Iſa. 3. 3.* Igitur nil mirum, ſi allegata exempla nullam faciant auctoritatem, cum proceſſerint vel à Viris à libidine obcecatis, vel à pravis conſiliariis deceptis. Particulariter verò reſpondendo:

Ad factum Anno 795. Conſtanti Imperatoris Orientalis, ipſum proceſſiſſe ex manifeſta iniquitate: nam, ut ſcribit *ibidem. n. 1.* Spondanus: *Ex ejus ſcelere magna ſunt in ea Eccleſia, inter Catholicos conſtata diſcordia; aliis turpi adulatione illud approbantibus, aliis verò magnopere deſectantibus, qui ejus rei cauſa perſecutionem ſunt paſſi. Fuerunt inter iſtos præcipui magni illi Abbates Plato, & Theodorus ſtudita, Orientalis Eccleſia lumina, &c.* Habuit Conſtantine aduſores, qui eum ad injuſtum illud divortium, & injuſtas ſecundas Nuptias inflammarent; habuit & bonos Conſiliarios, quibus tamen noluit credere; unde ſubdit idem Spondanus *n. 2.* *Reſtitit quoque Imperatoris conatu viriliter Tarasius Patriarcha Conſtantiopolitanus, etiam uſque ad comminationem Excommunicationis, aded ut nulla arte adigi potuerit conſentire expulſioni Maria, & Nuptiis, ac coronationi Theodotes. Verum cum hac per alium Presbyterum, Joſephum nomine, Eccleſia Conſtantiopolitana Oeconomum, peragi curaret Imperator; gravi anguſtia preſſus Tarasius, veritus ne nimis exasperando Imperatoris animum (minantis jam ſe majorum exemplo Sacras Imagines exturbaturum) faceret eum deſectorem fidei Catholicæ, & perſecutorem Eccleſia, ſic illum erroris redarguit, ut tamen Eccleſia communione non privaverit. Quis ex tam ſcandalola operatione Imperatoris Conſtanti, moniti, reprehendi ac à tot Sanctis Viris increpati, & nihilominus incorrecti, argumentum liciti ſecundi conjugii, vivente prima Uxore, eſſi dimiſſa, deſumeret?*

Ad repudium Bardæ Supremi Miniſtri Michaelis III. Imperatoris Conſtantiopolitani Anno 858. patratum eadem reſponſio datur: Bardæ enim proceſſit ex ſuperbia ob gradum primi Miniſtri, quem obtinebat; & ob libidinem, qua agitabatur, repudiavit legitimam Uxorem; & aliam ſibi copulavit adulteram; unde à S. Ignatio Patriarcha ejusdem Urbis Conſtantiopolitane excommunicatus fuit, quem Bardæ tanto odio inſequutus eſt, ut poſt exilium, ac alias vexationes plurimas, calumnioſe accuſatum de conſpiratione adverſus Imperatorem, è throno impiè depoſuit, & in ejus Sedem Patriarchalem Photium Eunuchum poſuit, qui acerbiffimi Schiſmatis cum Eccleſia Romana, & aliorum malorum plurimum auctor fuit; ut latius diſſerunt Hiſtorici illorum temporum Curopalatus, Cedrenus, & alii, à quibus Emin. Card. Baronius *d. Anno 858.* ac Spondanus *ibid. n. 4.*

Ad Lotharii Francorum Regis conſimile ſcandalolum Theutbergæ Regina, ac Uxoris

legitimæ repudium Anno 862. propoſitum, ut Waldradam adulterino nexu ſibi conjungeret, pari modo reſpondetur, fuiſſe actionem. ac diſmiſſionem iniquam, à Nicolao Papa I. repreſentam, eſſi ab iniquis Judicibus in Concilio Metenſi laudatam; ut narrat Spondanus Anno 863. num. 3. his verbis: *Hoc eodem anno habita eſt in Gallia, Menſe Junio, Metenſis Synodus; in qua corruptis pecunia Sedis Apoſtolice Legatis, confirmata eſt expulſio Theutbergæ Regina legitimæ Uxoris Lotharii Regis, & Waldrada pellicis ſubintroductio. Sed de his omnibus facta relatione Nicolao Summo Pontifici, revocavit ipſe, ac damnavit in Lateranenſi Concilio impiè geſta, Episcopos illos communionem privavit, & ipſum illorum conventum non ſynodum, ſed tanquam adulteris faventem, proſtitulum appellavit. Mox excommunicavit Lotharium, donec Waldradam ejiceret, & reaſumeret Theutbergam Reginam; ſed diſſimulavit ipſe obedire; donec morte Nicolai Patris audita, ac Hadriani II. Pontificis ſucceſſoris electione intellecta Anno 868. Romam acceſſit, & eidem Pontifici falſè aſſeruit, ſe Waldradam expulſiſſe. At Pontifex ſub comminatione Divinæ punitionis, ſi ita non eſſet, Lotharium, ac Nobiles ejus Comites Sacra Communionem reſecit. Sed quid? Lotharius latus Roma recedens, morbo in itinere correptus eſt, & Placentiam agrè perductus Menſe Auguſto inſelicitè Spiritum reddidit; ac ceteri pariter quicunque indignè communicaveſſent, omnes eodem anno miſerabiliter interierunt. Ita Spondanus Anno 868. n. 4. Et Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 16. n. 127.**

Ad repudium Richardæ, ſeu Richildis Uxoris Regis Caroli Graſſi, ac Imperatoris Anno 888. peractum, ad illius injuſtitiam oſtendendam ſatis eſt innuere celerem punitionem in eundem Imperatorem à Deo immiſſam, quam P. Antonius Foreſti in ejus Vita *lib. 23. c. 7.* narrat his verbis: *Quaſto ripudio, che ſcandalizzò il mondo tutto, diè l'ultimo crollo alla fortuna di Carlo Graſſo; avvegnache li Tedefchi, & i Franchi ſentendo da una parte gl' Italiani à trattare di rimettere in capo ad un Nazionale la Corona d'Italia, e ſcorgendo dall' altra l'impotenza di Carlo, preſo il di lui Nipote Arnolfo, naturale di Carlomanno, lo ſalutano Imperatore; e tratte di doſſo al Graſſo le inſegne Auguſte, gli danno per Reggia una cella ſotto la tutela di Arnolfo ſteſſo, che ſi ſcarſo nel fare le ſpeſe al Zio infelice, che à pena baſtavano à non morire dalla fame. Nè tardò egli più di ſei ſettimane à terminare li ſuoi giorni.*

Ad diſmiſſionem Bertæ Uxoris Philippi Regis Francorum per eum factam Anno 1094. facile eſt reſponſum, quod fuerit injuſta, & novum ejus Matrimonium irritum; ſiquidem ipſe Philippus Rex fuit excommunicatus tum in Concilio Gallicano ſub Legato Sedis Apoſtolice eodem Anno 1094. ut ibi narrat Spondanus *n. 2.* tum ab Urbano Papa II. in Concilio Claramonti Anno 905. ut pariter ibidem advertit Spondanus *n. 3.* donec pœnitentiam agens, ac pellicem pellens ab eodem Urbano II. meruit abſolutionem obtinere.

Ad

Ad Repudium, quod fecit Othocarus, seu Primislaus Rex Bohemix Anno 1260. de propria Uxore, ut aliam duceret, dici potest, quod ejus primum Matrimonium fuisset ratum, non autem consummatum, attestantibus Historicis, quod Uxor prima, ante Matrimonium, Votum fecerat Virginitatis, & quod post Matrimonium ingressa est Monialium Monasterium; ubi profitendo solemniter Religiosam vitam justam causam dedit Othocaro solvendi nexum maritalem, & aliam Uxorem ducendi; quod fieri posse constat ex cap. *Desponsatam*. 27. q. 2. ex cap. *ex publico*. Et ex cap. *Ex parte tua*. De *Convers. Conjugat.* novissimè Concil. Trid. d. sess. 24. de *Matrimon. can.* 6. Vel dicamus, si professionem religiosam non emisit, quod Othocarus impetravit à Summo Pontifice dispensationem ipsius Matrimonii rati, non consummati, quem dari posse concedunt Theologi, ac Canonistæ, ut demonstrat Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 16. art. 12. per tot. & probat Matheus d. disp. 7. de *Matrim. num.* 199. idcirco subdit Raynaldus ad d. *Annum* 1260. num. 21. eundem Othocarem, seu Primislaum Regem se justificasse apud Summum Pontificem Romanum circa repudium prædictum.

Ad repudium Mariti factum per Fabiolam responderet S. Hieronymus d. tom. 1. ad *Ocean.* eam illud fecisse per errorem, ac proinde penitentiam egisse. Audiantur Sancti Doctoris Verba: *Fabiola, quæ, dimisso primo adultero marito, secundum sortita erat Matrimonium, quia persuaserat sibi, & putabat, à se jure Virum dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa cautio, viventibus Viris, feminis amputatur, dum multa diaboli vitæ vulnera, unum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis, & antiquis moror, querens excusare culpam, cujus penitentiam ipsa confessæ est.* Igitur Fabiola, dimisso primo marito adultero, eo vivente nupserat alteri per errorem. At error non præjudicat veritati. *l. Cum quidam. §. Quod dicitur. ff. de acquirend. hered.* Dynus de *Regul. Jur. cap. Beneficium. num.* 33. Et ex his omnibus evacuata remanet quæcunque objectio, quæ ex Historicis, & ex facto hominum videbatur fieri contra insolubilitatem Matrimonii.

Porro difficilius videtur respondere objectionibus deductis ex tenore Sacrorum Canonum supra à num. 9. & infra allegatorum. Nihilominus ad cap. *Uxor.* 32. q. 7. ad illa Verba: *Non subdit de viro, quod de Uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam, quæ quidem verba dicuntur esse S. Ambrosii super Epist. 1. D. Pauli ad Cor. cap. 7.* Triplex datur responsio: Prima est, quod illa Verba non sunt S. Ambrosii; sed addita ab aliquo hæretico, ut fingeret sibi aliquem Patronum illius opinionis; quod satis probatur ex eo, quia alibi S. Ambrosius scripsit totum contrarium; & docuit, neque Uxorem, neque Maritum, facto inter se repudio, posse alias nuptias contrahere, vivente altero, ut in ejus *Commentar. super S. Luc. cap. 16.* Ita Eminentiss. Cardin. de Doct. Clericali Tom. II. Lib. VI.

Lauræa d. disp. 16. de *Matrim. num.* 94. Secunda responsio est, quod ea verba sunt intelligenda post mortem Uxoris adulteræ; itaut dicere voluerit S. Ambrosius, (si ejus sunt verba illa) licere viro ducere aliam, præmortua adultera, non licere ipsi adulteræ nubere alii præmortuo viro, quia antiquitus in pœnam commissi adulterii, mulier tanti criminis rea non poterat secundum Matrimonium contrahere, quamvis esset præmortuus primus maritus, ut ex Concilio Foro-Julien, supra num. 28 & ex Morino de *Sacram. Pœnit. lib. 5. cap. 21.* notatum est supra num. 42. Ita Glossa in d. cap. *Uxor.* 32. q. 7. Tertia responsio est, quod S. 63 Ambrosius retulerit dicta Verba ad concessionem juris Civilis, cujus erat doctissimus; non autem ad Legem Evangelicam; itaut dicere voluerit de jure Civili Vir, facto repudio, potest aliam Uxorem ducere; Uxor non potest alii viro nubere. Ita Barbosa in *Collect. DD. ad d. cap. Uxor.* 32. q. 7. ubi alios DD. hanc interpretationem approbantes citat. Quidquid sit de veritate, aut vero sensu eorumdem verborum dato, licet non concessio, quod ea S. Ambrosius protulerit, cum habeamus tot Concilia contrarium docentia, horum diffinitiones amplectere debemus, quia hæc prævalent dictis Sanctorum Patrum. cap. *De libellis dist.* 20. cum hæc sint infallibiles, illa non. Ita idem Emin. Card. de Lauræa d. disp. 16. num. 94. in fin.

Ad Cap. *Quod proposuisti.* 32. q. 7. in quo videtur Gregorius III. dissolvere Vinculum Matrimonii ob supervenientem infirmitatem Uxoris; respondetur Primò, ea verba non esse Gregorii III. quia in ejus septem Epistolis, tom. 3. 65 Concilior. par. 1. contentis, non reperiuntur. Ita Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 16. num. 133. & num. 161. nec non Barbosa de *Jur. Eccles. Univers. libr. 1. cap. 2. num.* 60. ubi dicit, ea esse Beati Gregorii I in Epistola ad Augustinum; sed Eminentiss. Cardin. de Lauræa subdit d. num. 161. illam nullibi potuisse reperire. Sed estò sit S. Gregorii Magni, vel Gregorii III. respondetur Secundò, intelligi de Sponsa de futuro, cum qua solvi possunt sponsalia ob supervenientem infirmitatem insanabilem, ut suo loco infra dicemus, agendo de Sponsalibus. Ita Eminentiss. Cardin. Bellarminus de *Matrim. cap. 17.* sed hæc responsio non placet Soto in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. ad finem, neque Emin. Card. de Lauræa d. n. 133. Respondetur Tertiò, illum textum intelligendum esse de Uxore, quæ ante Matrimonium initum erat inhabilis ad copulam ob infirmitatem insanabilem, puta quia erat arcta, & à marito non poterat carnaliter cognosci; idcirco Matrimonium erat nullum, ut explicabimus infra ad impedimentum Impotentia ad copulam, quod dirimit Matrimonium ex cap. *Ex litteris. De frigid. & Maleficiat.* Ita Valentia tom. 4. disp. 10. q. 1. punct. 7. Vers. *Quintò obijcit.* Carranza in *Summ. Concilior. pag.* 283. Menochius de *arbitr. Judic. casu* 420. n. 95. Sanchez de *Matrim. libr. 7. disp.* 80. n. 16. Vers. ad 5. Et quia textus videtur loqui de Matrimonio valido, post cujus contractum legiti-

H

mum

num infirmitas supervenit respondetur Quarto, intelligendum esse de Matrimonio valido quidem, sed tantum rato; non autem adhuc consummato, in quo Summus Pontifex potest dispensare, & ob legitimam causam ejus Vinculum dissolvere, ut concedunt omnes DD. in *cap. Ex publico 7. De Convers. Conjug.* Et nos infra docebimus de Matrimonio Rato *Decis. XII.* Ita Barbosa *d. libr. 1. cap. 2. num. 60. in fin.* & in *Collectan. DD. ad d. cap. Proposui. 32. q. 7.* qui textus est sane difficilis, & opus esset, originalem Epistolam, à qua Gratianus illum desumpsit, præ oculis habere, ut ea tota perspecta sensus horum verborum posset veraciter comprehendere; cum pro certo sit tenendum, Summum Pontificem non respondisse contra Evangelium, aut contra tot præcedentia Concilia, & dicta Patrum, quibus definitum erat, Matrimonium consummatum legitime initum, ex quacunque supervenienti causa, esse insolubile.

Ad *cap. Concubisti. 32. q. 7.* in quo Zacharias Papa videtur concedere Uxori innocenti, quod, repudiato Marito adultero, & incestuoso, nubat in Domino cui vult; ipso autem Marito, ac adultera absque spe conjugii permanentibus; Respondetur, Pontificem intellexisse de conjugio ab Uxore contrahendo post mortem Viri prædicti adulteri, ac incestuosi. Ita Eminentiss. Cardin. Bellarminus *libr. 1. de Matrim. cap. 17.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disp. 16. cod. tract. num. 145.* ubi subdit, non esse frustratoriam illam Pontificiam declarationem; quia cum de Jure prohibitum sit conjugibus incestuosis, soluto primo Matrimonio, per mortem unius ex ipsis, secundas Nuptias contrahere, *cap. Quidam. 27. q. 2. cap. Si quis viduam. & cap. Si quis cum noverca. 32. q. 7.* Zacharias Papa declaravit, Uxorem Mariti incestuosi innocentem non esse comprehensam in illa prohibitione, & ideo post mortem Viri posse alii nubere.

Ad *cap. Cum in captivitate. 34. q. 4.* in quo Innocentius Papa I. dixit, quod si prima Uxor non fuerit ejecta per divortium, Maritus non potest permanere cum secunda; unde à contrario, si sit ejecta per divortium videtur solvi Vinculum Matrimoniale, & posse permanere cum secunda; Respondet Emanuel Gonzalez *Comment. in cap. 1. de Divort. num. 13.* his verbis: *Dicendum est, ea Verba, nec divortio ejecta, referenda esse ad casum, quo Matrimonium nullum declaratur; quia celebratum fuit in gradu consanguinitatis, vel affinitatis, seu cum alio impedimento irritante, quo casu cum Matrimonium nullum declaratur, recte possunt conjuges ad aliud transire: tunc autem late fieri divortium dicitur, cum verè Matrimonium nullum fuerit. Glossa ibi V. Ejecta, quam sequitur Turriscremata, Et hac solutione intelligendi sunt textus in cap. Querimoniam. De Jurapatron. & in cap. 1. hoc. tit. de Divortio. Huc usque Gonzalez.*

Ad *cap. Laudabilem. 1. De Convers. Infidel.* in quo cum quidam Maritus apostatasset à fide, ac ejus Uxor postea alteri nupisset, &

demum cum primus Maritus iterum reverfus esset ad fidem, ac suam Uxorem peteret, Coelestinus Papa Tertius, (creatus Pontifex Anno 1191.) ait: *Non videtur nobis quod eadem à secundo debeat recedere, & resignari priori.* Plures dantur à DD. resolutiones. Prima, ac præcipua, quod illa Verba sint apocrypha, minime prolata ab illo Summo Pontifice, doctissimo, ac in scientia Sacrorum Canonum veratissimo; sed sint subinferta ab aliquo hæretico, vel inimico ejusdem Pontificis. Duo sunt fundamenta hujus responsionis; Unum quod tempore Coelestini Tertii vivebat Theodorus Balsamon hostis acerrimus Romanorum Pontificum, à quo fuerunt canones compilati, & de quo ita scribit P. Antonius Foresti in vita ejusdem Coelestini Tertii in *Massamundition. 69. 3. Anno 1196. pag. 527. num. 5. At tempi di Celestino fiorì Teodoro Balsamone, riputato uno de gran Savii dell' età sua, se l' alio, & il livore contro i Romani Pontefici non haveffe di troppo eclissata la sua gloria. Egli ne' scritti suoi si intitola Patriarca Antiocheno, ma fu solo di nome, perche il Patriarca Latino di essa Chiesa, sedendo come Signore, non permetterea, che vi si accostasse il Patriarca Greco ad inquietarla. Egli però sapendo, ciò essere per ordine de i Romani Pontefici, non lasciò ne i suoi scritti di lacerarli, e renderli odiosi à i Greci, principalmente nella sua compilatione de i Canon, inserendone alli veri de i falsi, & apocri. Idem observat, & notat Spondanus ad Annum 1193. num. 5. Aliud fundamentum est, quod in collectione Canonum in quinque Libris Decretalium facta per S. Raymundum de Pennaforti Anno 1230. jussu Gregorii Papæ Noni, prædicta verba, & responsum Coelestini III. quod Uxor illa non debeat à secundo recedere, & resignari priori marito; non reperiuntur, ut testatur antedictus Eman. Gonzalez in *Comment. add. cap. 1. De Convers. infidelium num. 3. pag. 504.* ideo non levis est suspicio, ea ab Hæreticis, vel Schismaticis apposita. Sed est, ea pronunciasse Coelestinum III. respondetur secundò, esse intelligenda de Matrimonio rato, non consummato cum Apostata, quod à Papa dispensari potest, ut dictum est supra num. 59 Respondetur tertio, Coelestinum III. non ita definisse tanquam Summum Pontificem, seu ex Cathedra; sed sic opinatum esse uti Doctorem privatum, forsan quia eo tempore nonnulli opinabantur, per hæresim, sive apostasiam à fide solvi Matrimonium quo ad vinculum, & conjugem fidelem posse alterinubere; quod postea falsum esse declaravit Innocentius III. Successor ejusdem Coelestini in *cap. Quanto. 7. De Divortio. Ita Emin. Card. de Lauræa d. disp. 16. de Matrim. num. 130. & 131. & nos de eodem Coelestino diximus de Sacramento Pœnitentiæ Decis. XIX. sub num. 21. Vers. Ad sextum.**

Ad Novellam Constitutionum Justinii Imperatoris de Anno 666. existentem in *Libr. Authenticor. sub Titulo: Ut possit consensus dissolvere Matrimonium.* Satis est dicere pro ejus constitutione, contrariare Evangelicæ Veritati; & ante-

Antecedenti Novellæ Constitutioni 117. cap. 10. Justiniani Imperatoris Prædecessoris, & Avi sui, quæ legitur in *Aurb. Quod hodie*, C. de Repudiis, & de qua meminit Basilius Pontius de *Matrim. lib. 9. cap. 1. num. 2.* Sed quibus moribus fuerit imbutus Justinus, narrat Spondanus ad d. *Ann. 566. num. 3.* his verbis: *Sed ut ad Justinum redeamus, felix planè ipse exstitisset, nisi avaritia, & turpi vita fœdasset, quæ ipso sui Imperii exordio laudabiliter peregrisset. At enim Evagrius, delictis cum defluxisse, & mollitie, in voluptatibus obscenis volutatum esse. Et paulò post: Atque sensim in deteriora lapsus, hoc item anno, alia promulgata Constitutione, communi conjugum consensu dissolvit Matrimonium posse sancivit; quæ quidem male inter Justiniani Novellas 140. adnumerata habetur, cum ipse ejus lator Justinus in ea testetur expresse, diversam Justiniani de ea re fuisse sententiam.* Nullius itaque roboris est Constitutio illa; quam Lex Justiniani Cæsaris Prædecessoris reprobatur; & tota Ecclesia Catholica anathematizat. Et nihilominus ex hoc lutulento fonte errorem solubilitatis Matrimoniorum, tanquam putidam aquam, hauriunt, & bibunt 73 Græci Schismatici; contra quos declamat prælaudatus eruditissimus Abbas Papadopoli hujus nostri celeberrimi Gymnasi Patavini publicus Sacrorum Canonum Professor in d. *suis Prænotionib. Mystagogie. Resp. 6. sect. 4. à n. 12. & segg.* ubi cumulat innumeros penè Canones, & Patres, potissimum Græcos, qui ab Ecclesiæ incunabulis, & successivis temporibus semper docuerunt, Vinculum Matrimonii consummati in Ecclesia Catholica fuisse, ac esse insolubile. Hinc quo ad Græcos Catholicos sub Regimine Ordinariorum Catholicorum viventes Clemens VIII. Anno 1595. *Constit. 34. §. 5.* ita sancivit: *Matrimonia inter Conjuges Græcos dirimi, seu divortia quo ad Vinculum fieri nullo modo permittant, seu patiantur. Et si qua de facto processerunt, nulla, & irrita declarent.*

Restat, ut respondeamus ultimæ objectioni deductæ ex verbis Evangelii *Matth. 19. 9.* in quibus Dominus noster dixit: *Quicumque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur. & qui dimissam duxerit, mæchatur.* Ex quibus deduci posse videtur, *Quicumque dimiserit Uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mæchatur.* At hæc deductio est erronea, falsa, & hæreticalis, attentis tot, & tantis Conciliis, dictis SS. Patrum, atque Summorum Pontificum, supra allegatis, quibus definitum est; dimittentem adulteram Uxorem, ut aliam ducat, mæchari; & eum, qui ducit adulteram dimissam pariter mæchari. Igitur vera interpretatio supradictorum Verborum Christi Domini *Matth. 19. 9.* est, eum fuisse locutum, & de dimissione Uxoris quoad thorum, atque habitationem tantum; & de dimissione quoad Vinculum pro alia Uxore ducenda. In prima dimissione dicit, eam esse licitam, si Uxor commiserit fornicationem, & facta sit adultera. In secunda dimissione dicit, non esse

Doct. Clerici Tom. II, Lib. VI.

licitam, quia qui dimissa prima Uxore, etiam fornicationis causa, aliam duxerit, mæchatur, & qui illam dimissam duxerit, mæchatur. Ita omnes Scholastici, Moralesque Theologi, ac Canonistæ, S. Thomas in 4. *sent. dist. 35. & ibidem Scotus, S. Bonaventura, Durandus, & alii. Gonetus tom. 5. tract. 8. disp. 5. n. 49. Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 2. sub n. 3.* ubi alios cumulat; Cotonius d. *lib. 5. Controver. 2. c. 3. n. 98.* Thomas Tamburinus de *Triplici Jure libr. 8. tract. 5. cap. 6.* & præter Scripturistas infra citandos, novissimè Emin. Card. de Lauræa, ac doctissimus Maltius, quorum Verba tanquam Magistralia non me piget hic transcribere, pro majori Parochorum, ac Studentium gratificatione.

Itaque Emin. Card. de Lauræa d. *disp. 16. de Matrim. num. 93.* italoquitur: *His autem rationibus, ac decretis suppositis manifestè declaret, quinam sit sensus verborum Christi Matth. 19. 9. Quicumque dimiserit Uxorem suam &c. Sensus ergo est, quod cum Christus 75 repudium in præcedentibus verbis, & omnem aliam dimissionem reprobaverit; concedit, quod ex causa fornicationis possit quis dimittere Uxorem quoad cohabitationem. & thorum; non tamen quo ad Vinculum; ideoque si dimittens aliam ducit, mæchatur; & qui dimissam ducit, mæchatur, quia vinculum non est solutum. Et sic patet, quod idem dicit Matthæus, quod Lucas & Marcus.*

Maltius verò in 4. *sent. disp. 7. de Sacram. Matrimonii num. 188.* hæc scribit: *Ad fundamentum in oppositum sumptum ex verbis Matth. 19. 9. Quicumque dimiserit Uxorem suam &c. respondetur ex doctrina Patrum, Conciliorum, & rescriptis Pontificum in repudio, seu perfectâ dimissione quoad vinculum duo esse considerata, nempe dimissionem unius, & potestatem ducendi aliam. Christus igitur in præfatis verbis hæc duo distinguit; & unum in causa fornicationis concedit, scilicet dimissionem; alterum verò, scilicet potestatem ducendi aliam, omnino abrogavit: alioquin esset manifesta contradictio cum præcedentibus verbis, quibus repudium, quod erat in Legge Mosayca permittum, & solutionem quoad vinculum omnino reprobaverat. Solam ergo concedit illis verbis, quod ex causa fornicationis possit quis uxorem dimittere quoad cohabitationem, & thorum; non tamen quoad vinculum; nec in ullo casu permittit, licere aliam ducere, priore conjuge vivente, quia vinculum non est solutum; & sic patet, quod idem dicit Matthæus, quod Lucas, & Marcus, & in hoc sensu hunc locum exposuit præsertim Augustinus libr. 2. de *Adult. Conjug. cap. 9.**

Hanc eandem explicationem faciunt omnes Scripturistæ in *Comment. super Matth. cap. 19. 9.* Nempè Lyranus, Abulensis, Maldonatus, Stapletonius, Cornelius à Lapide, Tirinus, Barradius, Menochius, & novissimè Magrius in fine sui Hierolexici, seu Dictionarii Sacri, in suis apparentibus contradictionibus Sacræ Scripturæ conciliatis ad d. *Verba S. Matth. 19. Pers. 9.* à Studiohis videndus. Ex quibus omnibus

mnibus firmatur supra exposita doctrina, quod in Ecclesia Catholica vinculum Matrimonii legitime initi, & consummati est prorsus indissolubile, excepto casu conversionis ad fidem unius conjugis infidelis, si alter conjux nolit se convertere; & excepto casu Matrimonii rati, non consummati, si unus conjux velit ingredi Religionem; de quibus duobus casibus agendum est in sequentibus Decisionibus.

DECISIO XI.

A R G U M E N T U M.

Et si Matrimonia Infidelium sint insolubilia; ea tamen, etiam consummata, si unus conjux convertatur ad fidem, dissolvi posse ex Christi dispensatione, in favorem Fidei concessa, ostendit hæc Decisio. Circa quam solutionem quatuor gravissima Dubia examinantur, & resolvuntur. 1. Quo tempore prædicta solutio fiat? 2. An Conjux infidelis sit prius monendus, ut se convertat? 3. Quid agendum si infidelis non reperiatur? vel ob nimiam distantiam moneri non possit? 4. An Conjux fidelis teneatur cohabitare cum infideli nolente se convertere, sed offerente secum vivere absque injuria Creatoris, & sine pertractione ad peccatum?

S U M M A R I U M.

- 1 Infidelium Matrimonia sunt valida, & insolubilia.
- 2 Bigamia an afficiat infideles?
- 3 Infidelium Matrimonia solum à Deo solvi possunt.
- 4 Inferior nihil potest in legem Superioris.
- 5 Infideles an possint mutuo consensu solvere Matrimonium?
- 6 Christus tanquam Filius Dei concessit, solvi posse Matrimonium infidelis conversi ad fidem.
- 7 Dispensatio prædicta habetur non per Scripturam, sed per Apostolicam Traditionem.
- 8 Traditionibus Apostolicis Ecclesia regitur.
- 9 S. Pauli Apostoli verba circa Matrimonia Infidelium.
- 10 Prædicta verba sunt de consilio, non de præcepto.
- 11 S. Monica maritum habebat infidelem, patrem S. Augustini.
- 12 Fidelis an teneatur cohabitare cum conjuge infideli?
- 13 Discessus infidelis à fideli conjuge solvit Vinculum Matrimonii.
- 14 Infidelium Matrimonia quando solvantur quoad Vinculum?
- 15 Solutionis eorundem ratio.
- 16 Innocentii III. verba in cap. Quanto, & cap. Gaudemus. De Divort.
- 17 Solutio Matrimonii per conversionem ad fidem, quo tempore fiat.
- 18 Conditiones tres pro solvendo Matrimonio ad fidem conversi.

- 19 Matrimonium conversi ad fidem secundum solvit primum.
- 20 Cap. Infidelis. 28. quæst. 2. declaratio.
- 21 Fidelis conversus monere debet conjugem infidelem, ut convertatur.
- 22 Monitio prædicta an extrajudicialis sufficiat?
- 23 Judex Ecclesiasticus, ac Laicus potest infidelem monere, ut se convertat, aliter &c.
- 24 Formula monitionis, & interpellationis Conjugis infidelis.
- 25 Moneri si infidelis non possit, quid agendum?
- 26 Voluntas declaratur verbis, & facto.
- 27 Dispensatio Pontificia requiritur, si infidelis conjux moneri non possit.
- 28 Gregorii XIII. Bulla pro dispensatione cum conversis ad fidem ad hoc ut nova Matrimonia possint contrahere.
- 29 Dispensatione prædicta quando opus sit, & quando non?
- 30 Fidelis conjux an teneatur cohabitare cum infideli nolente converti? Quid teneatur. num. 31.
- 32 Quod non teneatur rationes plures.
- 33 Judæorum odium maximum in omnes Christianos.
- 34 B. Simoncinus puer excarnificatus vivit à Judæis.
- 35 Conc. Toletani IV. Canon circa conjugem Infideles.
- 36 Mulieres, & Vinum faciunt apostatari Sapientes.
- 37 Drahomira Pagana Matris S. Wenceslai iniquitas.
- 38 Judæis conversis prohibita conversatio cum aliis Judæis.
- 39 Judæis non licet habitare extra Ghetum.
- 40 Cesara Regina Persarum ad fidem conversa recusat cohabitare cum marito, nisi se convertat.
- 41 Temporum diversitas attendenda circa conversos ad fidem.
- 42 Gentiles sunt minus infensi, quam Judæi.
- 43 Consuetudo regionum attendenda circa cohabitationem fidelis conjugis cum infideli.
- 44 Arbitrium Episcopi attendendum circa cohabitationem.
- 45 Fidelis non tenetur, sed si velit, potest cum infideli conjuge habitare.

Cum itaque duo dentur casus, in Legge Evangelica, dissolvendi Vinculum Matrimonii antea initi; videlicet si ex infidelibus conjugatis unus convertatur ad fidem, alius vero nolit se convertere; & si ex fidelibus, cum Matrimonium est ratum, Unus velit ingredi Religionem; idem in præsentis Decisione de primo casu est differendum.

Pro intelligentia dicendorum tria præmittere oportet. Primum est; quod Matrimonia infidelium, qui non deducunt in pactum expressè, vel tacitè ejusdem contractus dissolutionem, sunt Matrimonia vera, valida, & insolubilia, ut ostendimus supra Decif. VIII. num. 42. & 43. & probatur per text. in cap. Uni.